



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De gradibus animalium simplicibus corporibus respondentium. Cap. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

De gradibus Animalium simplicibus corporibus respondentium.

CAP. VI.




QVemadmodum sphaera inferiorum corporum, referta sunt suis animalibus; pariter & coelum sibi convenientibus animalibus est decoratum: quae eò praestantiora sunt, quò coelum mortalibus corporibus praestat; & eò magis eis debet esse refertum, quò corpus illud fecundius, & vitalius est caeteris omnibus. Sic dantur quinque animantium gradus, quinque simplicibus corporibus respondentes: quod in duplici significatione verum est. Primò, ratione Dæmonum: nam dantur Dæmones ignei, aetherei, aerei, & terrei, modo iã in praecedentibus explicato. Secundò, ratione diuerforum viuentium, & incolarum: dantur enim pecudes, iumenta, & homines, qui sunt incolae terrae; pisces, aquarum; volucres, aeris; Dæmones, praesertim aetheris; Dij, ignis. sic stellae, & coeli, visibiles Dij saepe nuncupantur: sunt enim stellae absoluta quaedam corpora, anima propria praedita, per quam motu distincto ab eo sui orbis cientur; quamuis longè secùs sentiat Aristoteles, qui solo motu sui orbis stellam moueri censuit. Et Simplicius volens motum illum proprium seruare etiam cum Aristotele, manifestissimè errauit: summo opere enim aduersatur verbis, & rationibus Arist. Vt pro motu vniuersi coeli, non sunt necessaria instru-

mēta motui inferuentia; ita neque pro motu stellarum. Propterea valde leui in secūdo cœli vtitur ratione Aristoteles; dum ostendit stellas proprio motu non moueri, quia carent pedibus, cæterisque instrumentis motus: non enim, vt anima moueat id corpus, cui maxime dominatur, eget instrumentis; & præsertim, dum mouet in orbem. Insuper, quamuis Arist. in secundo de Generatione animalium cap. 3. dicat ignem nullum generare animal: tamen sententia eius, non de omni igne vera est; sed de eo, qui est combustio, & flamma; non de vitali, fœcundo, & cœlesti igne: qui tantum abest, vt vitæ aduersetur; vt potius fons, & initium vitæ cæterorum, cenferi mereatur: Sed obiicit Platoni Arist. in 2. de cœlo. Si cœlum eget animata necessitate, detinente illud natum secūs moueri; eius anima, æterna premeretur miseria: primò, quia laboraret pro detinendo corpore nato secūs moueri: secundo, quia nunquā à corpore abiungeretur, & nunquam fortiretur dispositionem optimam, quæ animæ conuenit in separatione à corpore ex sententia Platonis: vt eidē Platoni obiicit Aristot. etiam in primo de anima 49. inquit: Laboriosum autem est, & commixtum esse corpori, ita vt non possit absolui, & adhuc fugiendum; siquidem melius est intellectui, non cum corpore esse; vt consuetum est dici, & multis placet. Sed huiusmodi instatiæ, ex sententia Platonis rectè percepta, inanes iudicantur.

tur. Nam cœlum, & mundus dicuntur esse nata secus moueri; nō quidem propriè, nec quia ad oppositum, vel ad alium motum sint procliuia, & violentia detineantur: sed solūm id est verum cum negatione; quatenus illū motum, & ordinem, non ex se habent; sed ab alio recipiunt; & propterea simplicia corpora, ante mundi productionem, fluctuare, & inordinatè moueri dicebantur. Insuper cœlestia, cū sint solubilia, dicuntur diuina voluntate detineri, ne soluantur; vt in præcedentibus declaratum est: quæ minimè est violentia contraria naturæ; sed diuina, supra naturam, & naturæ apprimè salutaris. Insuper, anima mundi, & cœlorum, quamuis semper sint coniunctæ cū corpore; attamen simul etiam sunt seiunctæ, coniunctæ cum mente, & supra cœlum eleuatæ; in qua eleuatione beantur semper, & æterna fœlicitate fruuntur.

De motu Cœli.

CAP. VII.

œlum moueri, & motum eius esse in orbem, conueniunt profectō viri sapientes: at in attinentibus ad eius motum, variæ occurrunt difficultates. Quæritur primò, cur cœlum moueatur in orbem. Dicendum est, multiplici de caussa id euenire; nam primò id euenit ratione mobilis: cū enim cœlum sit rotundum, motu in orbem mobili respondente debuit moueri;

T 4